HONORIUS AUGUSTODUNENSIS. GERHOHUS REICHERSBERGENSIS. HOMILIAE
12. Jh. Seite 26r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26398
Copyright: Admont, Benediktinerstift



aere uolare iussit. Aeris etenim natura nichil aliud
quam aquam esse fertur. et hec cunctis animantibus uitalem
flatum dare prohibetur. atque idcirco tempestates in aere ut
in mare creare traditur. Aqua quippe in nubes condensatur. et iterum
uentis in pluuiam densatur. Ex ipsarum quoque nubium collisione
tonitrua concrepant. et ex ignis excussione fulgura co
ruscant. Ex procellis autem uenti procreantur. ipsorumque ui. ymber
in grandinem formatur. ex frigoris uero inclementia pluuia in
niuem commutatur. Hec autem turbulentia in aere tantum
uersatur. ceterum spacia inter celum et aerem perpetua luce et tranquilli
tate plena credentur. Aer quoque iste nocte tantum obscu
ratur. que ab umbra terre generatur. superior uero ether iugi
die letatur. Quod autem in nocte uidentur stelle cadere. stelle non
sunt. sed igniculi. ab ethere flatu uentorum in aera tracti.
Dixit quoque deus. Producat terra iumenta et reptilia et bes
tias terre. Nota quod de aquis duo genera producuntur. scilicet
natantia et uolantia. de terra autem tria formantur. uidelicet
gradientia. reptantia. serpentia. Igitur omnibus creatis ad usum
hominis necessariis. ipse etiam de terra educitur. qui ceteris omnibus
ut dominus preficitur. Qui etiam ad imaginem et similitudinem dei
creatus memoratur. ut celeste animal intelligatur. diuina ratio
ne et intellectu a ceteris animantibus sequestratur. Et quia deus
ei quandoque couniri disposuit. ei participium cum omni
creatura tribuit. scilicet discernere cum angelis sentire cum